



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Ephes. 6. Orantes omni tempore in spiritu. Et Lucae 18. Ephes. 6.
Oportet semper orare. Ergo semper orat qui semper fidei Aug. 18.
Deo. Conditiones orationis hæ sunt: præceptum, promissio, fides, res petenda, uel spiritualis, uel corporalis, posterius
semper cum conditione, si referat Dei gloriæ & nostræ
saluti, & per quem, quia per Christum, quicquid petieritis
Patrem in nomine meo, dabit uobis, Ioan. 15. Frater etiam
am in his toto cœlo errat. Ios. 15.

PROPOSITIO XLV.

Semper ieiunat qui semper abstinet a peccatis.

CENSURA.

Non semper ieiunat corporaliter qui semper abstinet
a peccatis.

CONDEM. CENSURAE.

VT magis odiosam reddat causam Frater in hac pro-
positione meis uerbis ita præfatur, non obligatur in-
quit aliquis corporaliter ieiunare, cum Christianus semper
ieiunare & spiritu & corpore debet. Est enim duplex ieiuni-
um, externum, internum, fides & opera fidei, Esa. 58. Ego
loquor de ieiunio superstitioso, cuius author Montanus est.

*Ieiunium duplex est
Esa. 58.*

Origenes in Leuiticum Homelia 10. Ieiuna ab omni pec-
cato, tale ieiunium Deo placet. Abstineri uero a cibis &c.
acceptum esse non potest Deo, est certe libertas Christiano
per omne tempus ieiunandi &c. Hieronymus ad Lucinium:

Hieronymus

Atque utinam omni tempore ieiunare possimus &c.

Chrysostomus Mat. 4. Ieiunium est abstinentia rei male.

*Chrysostomus
Augustus*

Augustinus super Ioannem : Magnum & generale ieiunium est abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis uoluptatibus huius seculi &c. Christiano semper phase celebrandū, semper egrediendum de Aegypto uitiorum, & in nouitate spiritus ambulandum, de uirtute ad uirtutem eundum, affligunt sua corpora ut obediant spiritui, ut sobrietatis exemplū sint alijs. Vescuntur autem cibis indifferenter, non enim habent eorum delectum, ubi fratrum infirmorum ratio admittit, Ieiunium ergo cordis cum sit fides, semper ieiunat qui semper fidit Deo. Non uacat Fratris ineptias adferre.

PROPOSITIO XLVI.

OMnes dies æquales sunt.

CENSURA.

VNus dies alio sacrior est.

CONDEM. CENSURAE.

OMnium ex æquo prædicatorum officium est uerbi ministeriū & innocentia uitæ. Vt autē rite utantur ministerio selecti sunt dies a patribus, non quod illi ceteris sanctiores essent, sed ut tunc populus cōueniret ad audiendam missam, id est, uerbi prædicationem. Nam hac seruitute obligamur Deo festis diebus, ut ipsius uerbum per ministri functionem diligenter audiamus. Hæc autē propositio non est mea sed Hieronymi super Galatas cap. 2. Et Christiano omnis dies sacer est, & uita tota nō nisi sabbatum esse debet, id est, requies a peccatis. Esa. ultimo : Erīt mensis ex mense, sabbatū ex sabbato, Et Colo. 2. Nemo uos iudicet in parte diei

Hieronymus

*Esa. ult.
Colos. 2.*